

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1042

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

167

C O D I C E S

168

facit in *Hift. Typogr. supracit.* In *Ciceronis tamen Officia* eum quidam edidisse non reperi.

LXX.VIII C. 30.

379 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 205. f. probe exaratus, forma pene quadrata complectitur *Commentaria in Pentateuchum*, quorum ea, quae in *Genesin* sunt, ad *Remigium Monachum* S. B. *Antissiodorensem* pertinent, qui vivendo et docendo Seculum X. adtigit, et de quo videndus T. VI. *Hift. Literar. Franciae* a p. 99. Primum *Cod. nostri* folium Sec. XIV. restitutum sic habet: *In Nomine Domini Amen. Incipit expositio Remigij super bresith. idest super Genesin.* Eodem charactere et minio additur: *Iste liber iohannis veitmanstaler presbiteri de feustritz est.* Exponitur primo Praefatio *Hieronymi* in *Pentateuchum ad Desiderium* hoc initio: *Desiderius vocabatur episcopus quidam familiaris et amicus beati ieronimi &c.* Dein: *Incipit textus bresith idest genesis.* Sic: *In principio creauit deus caelum et terram; Author huius operis sicut sancti doctores tradunt. cognoscitur fuisse moyses &c.* Ultima sunt: *Deleationes in dextera tua usque in finem. Amen. Explicit Commentum Preſith.* Commentum istud a *Remigio* elaboratum solus tradit *Anonymus Mellic.* c. 66. Neque id mirum; teste enim *Bern. Montefalconio Diar. Ital.* c. 3. in *Cod. Padolironensi Remigio* fere coae-

vo, in quo *Commentarius* ejus in *Marcum* continetur, Titulo adjectit *Librarius*: *In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Nactus est tamen solertissimus *Pezius* Codices duos *Tegernseensem* et *Garstensem Remigii* nomine insignitos, e quibus Opus nostrum T. IV. *Theſ. Anecd.* p. 1. publicaret. His itaque tertium nostrum accense. Praeter antiquiorum PP. Sententias Autorem jam etiam *Walafridi Strabi Glossem* compilasse argumento est *Expositio* illius: *Terra autem inanis et vacua.* quae enim sequuntur: *Inutilis scilicet et infruſuosa et incomposita. omnia enim elementa &c.* iisdem pene verbis in praedicta *Glossa* habentur. Ita et *e Rabani Comment. in Genesin* totum locum ultimum a C. L. v. 23. suum fecit, ut conferenti patet. Quare, nisi testimonium *Anonymi Mellic.* et trium *Codicum* obſtaret, facile quis omnem hanc *Geneseos expositionem Walafrido Rabani* discipulo adſcriberet, motus maxime ſequentibus.

II. fol. 52. *Incipit Prologus Subsequentis Operis. Libri Exodi.* Audi Praefamen. *Huius libri quam subiectam cernis explanatiunculam.* dominus brabanus de dictis sanctorum augustini hieronimi ifidori gregorii. et domni bede. et aliorum sanctorum venerandis congregans suis discipulis (Fuldae) autoritate tradidit catholicā. Quorum ego ultimus strabus ipsam quanta potui breuitate ne penitus de memoria laberetur. notaui. humiliter lectorum depo-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1042

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

169

HERMENEUTICI.

170

deposcens. ut si quid extra lineam rereditudinis in illa positum inuenierit non magistro imputet sed meq; tarditatis ignauie. misericorditer tamen mibi compassus ueniam tribuat postulanti. Nec enim tutum est aliena damnare. illi qui propria uirute se non potest conseruare. Sciat

tamen uoluntatis mibi fuisse. fidei rereditudinem nusquam deseruisse. Si quid autem fortasse in eo dignum inuenerit. agat deo gratias. et oratione profusa magistro cuius hęc labore ausi fuimus. apud deum perpetuam beatitudinem optare meminerit.

*Hunc Librum Exposuit Hrabanus Jure Sofista.
Strabus Et Imposuit Fruolus Hos Titulos.*

Habes igitur *Walafridi Strabi* juvenis Monachi *Divitis Augiae* studiorum caussa *Fuldam* missi adolescenti Seculo IX. Excepta ex ore Magistri, diversa cum ab hujus *Commentario in Exodus*, qui prostat *Opp. T. II. Colon. 1626. p. 84.* tum a *Walafridi Glossa* dicta *ordinaria*, cujus tamen veluti Rudimenta haberi possunt. Eorum initium est: *Exodus exitus dici potest. quia greci odum (όδον) uiam. odoporicum (όδοι πορειῶν) uiaticum vocant; Hebraice autem. elesmoth (אלה שמות) idem liber vocatur.* Erant igitur omnes anime eorum que egressę sunt et rel. Quod hic. *LXX.* tantum ponuntur. apud lucam uero *LXXV.* uel apud *LXX* interpretes. illa ratio esse uidetur. quod apud hebreos moris est in maiori numero minorem siquidem amplecti &c. Finis pia precatio, ut supra in *Genesi*, quae clauditur: *et humang fragilitatis contagione emundatum. quandoque ad tabernaculum tuum peruenire concedas. quod beati inhabitant. et te laudabunt in secula seculorum. Amen.* En accessionem ad Popularis nostri *Walafridi* opera, quam nul-

libi memoratam, minus editam sciam.

III. fol. 115. p. 2. *Prologus Uualafredi Strabi In Leuiticum.* Incipit: *Sequentis libri id est leuitici breuissimam annotationem ego strabus &c.* Načti sunt Ἐπιτομὴ hanc Editores *Rabani Colon.* eamque T. II. post ipsum *Rabani Comment. in Levitic.* p. 296. inseruere. Ejus initium: *Commentum Strabi In Leuiticum. Vaicra (ויקרא) id est leuiticus. quasi oblatoribus (l. oblatory) uel sacerdotalis liber &c.* In *Editis* rufus in piām Precationem definit, quae tamen abest a *Cod.* qui finit: *sine ulla mutatione. ex debito in hostiam offeretur. cetera ut supra. Explicit in Leuiticum.*

IV. fol. 151. *Incipit Expositio Uualafredi In Librum Numeri.* Nulla hic Praefatio, sed initium: *Loquutus est Dominus ad Moysen in Monte Synai, in Tabernaculo foederis. Synai interpretatur rubus.* De tabernaculo foederis autem loquutus est dominus legislatori ut meminissent se in mandatis domini bi quibus dicebatur incedere debere &c. Finis pius rur-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1042

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

171

C O D I C E S

172

sum motus est: *Ineffabilem clementiam tuam domine deprecor. ut per unigeniti tui passionem san&dis simam penitentia. et flagellis tuis me emendatum in numerum tibi placentium cum hostiis uirtutum quandoque transire concedas. qui in trinitate. et unitate perfecta in secula regnas amen.* *Uualfridi expositio in Numerum explicit.* Aeque ignota ac illa in *Exodus*.

V. fol. 179. p. 2. *In Dei N omine Incipit Expositio Remii In Deuteronomium.* Quis hic *Remius?* *Remigiusne Antissiodorensis*, cuius nomine *Commentarium in Genesin*, quem supra vidimus, publicavit *Pezius?* Narrat hic in *Differt. Isag.* ad T. IV. p. 1. in eodum *Cod. Tegernseeni* et *Garsenisi*, e quibus *Commentarium illum* depromxit, item in tertio *Paumgartenbergeni* haberi sub *Remigii* nomine *Commentarium in Pentateuchum* hoc initio: *Deuteronomium lex secunda dicitur.* Quod idem est initium nostri praesentis *Tractatus*. At praeterquam, quod *Librum solum Deuteronomii* appellare *Pentateuchum* magnam *Scriptoris arguat inscitiam*, addit ipsem *Vir Cl.* se postea comprehendisse *Commentarium illum* non *Remigii*, sed *Rabani* esse, interque hujus excusa Opuscula prostrare. Quo loco utinam illi placuisse editionem ipsam designare! *Commentarius enim Rabani in Deuteronomio*, qui in edit. *Colon.* T. II. p. 408. legitur, nihil commune cum nostro praesenti habet. *Anonymus* praeterea *Mellic.* nihil de *Remigii* aliqua in *Deuteronomium*

*Expositione, et quanquam Sixtus Sen. Bibl. L. IV. p. 318. dicat, eum in omnes Moysis libros commentatum, facile tamen falsa ciusdam Codicis inscriptione decipi potuit, ut etiam Autores Hist. Liter. Franciae T. VI. p. 104. censem. Cum itaque nihil sit, quod Commentarium nostrum vel Remigio, vel etiam Rabano solide adserat, vehementer inclinor, ut ejusdem esse dicam, cuius sunt praecedentia, Walafridi scilicet Strabi, idque cum propter tractandi methodum et stilum, qui idem est ac praecedentium, tum, quod in *Monaftico Anglic.* T. III. p. 363. Catalogus Bibliothecae Ecclesiae cathedralis Londin. anno 1458. concinnatus memoretur, in quo post *Glossam Nostrum* in *Biblia speciatim adducitur Strabus Gallus super Deuteronomium. Epit. de Galleri* inde ortum videtur, quod e quorundam sententia in *S. Galli Coenobio* educatus, ibidemque etiam *Decani* munere functus fit, licet fint, qui utrumque controvertant. Vide saepe cit. *Hist. literar. Franciae* T. V. p. 59. et *Fabricii Bibl. med. Lat. L. XXI.* p. 310. Initium porro, ut jam coepi dicere, *Commentarii nostri* est: *Deuteronomium dicitur lex secunda.* Haec fuit causa scribendi hunc librum. ut ea que facta uel dicta fuerant breuiter collecta arcu in memoria populi tenerentur &c. Pauca, et fortasse nec integrum folium, in fine desunt; adhaeret enim in expositione C. ult. v. 7. his verbis: *bic autem numerus CXX. eos significat qui uel in ueterem**

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1042

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

173

HERMENEUTICI.

uetere uel in nouo testamento legis et euangelii — —.

Illud occasione praestantis hujus Codicis addam: non illico cum Autoribus *Hist. Liter. Franc.* in Vita Rabani T. V. p. 195. condemnandam videri inscriptionem illam *Commentariorum Rabani* in Exemplo Collegii Novi Oxoniens. quae habet: *In Genesin commentarios edidit ipse per se, quæ sequuntur expositiones in 4. libros Moysis profiscuntur a Strabo ejus discipulo, qui magistri sui dicta fit deliter annotavit.* Fieri enim potest, ut Codex ille eadem contineat, quae nos hic recensuimus. Vide *Cavei Script. Eccl. Hist. Lit. Vol. II. Basil.* 1745. p. 37. f.

Praeterea fronti illius Sec: XIV. sequentes Notae Temporum adscriptae sunt:

Anno domini MC. ordo cisterciensium cepit. Cistercium aedificatum a. 1098.

Anno domini MCCVI. ordo fratrum minorum esse cepit.

Anno d. MCCXVI. ordo predicatorum esse cepit.

Anno d. MCLXI. Marchionatus Austrie mutatus est in ducatum. Eodemque anno ducatus bohemie mutatus est in Regnum. Utrumque paullo citius.

Anno d. MCXLIII. Richardus rex anglie a duce Leopoldo Austria captus est. Pro 1193.

Anno d. MCCXI. Sancta Chundis transfertur.

Anno d. MCCXV. Innocencius papa concilium Rome celebrauit. Lateranense IV.

174

Anno d. MCCLXXIII. Gregorius papa decimus concilium Lugdunio celebrauit. Potius 1274.

Anno d. MCCXXX. Leupoldus dux Austriae obiit. Gloriosus.

Anno d. MCCXXXI. Ludwicus dux occiditur. Primus hujus nominis Bavariae.

Anno d. MCCXXXVI. Sancta Elizabeth est translata. Nempe Thuringica. Et Henricus rex exilio relegatur. Filius scilicet Friderici II. Imp. Alii anno 1235. adsignant.

Anno d. MCCXLII. eclipsis facta est, et tartari poloniam vastaverunt. Duce Batukhan. Alii anno 1240.

Anno d. MCCLI. Chunradus rex est angustiatus Ratispone. De conspiratione hac vide Chronicon August. ad h. a. in Struvii Corp. *Hist. Germ.* T. I. p. 481.

Anno d. MCCXLVI. Fridricus dux Austriae est occisus. Bellicosus, in praelio cum Hungaribus.

Anno d. MCCLX. flagellatores surrexerunt. Perusiae scilicet, duce, ut fertur, Rainero Eremicola. et rex bohemie vngaros devicit. Ottocarus II. Belam IV. Stiriam occupare volentem.

Anno d. MCCLII. Otacharus factus dux Austriae. Contra Fridericum Badensem.

Anno d. MLXXXV. beatus Cholomannus Austria passus est dominante Hinrico Margrauio in Mar-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1042

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

175

C O D I C E S

176

*Marchionatu Austrie. Lapsus
luculentus pro a. 1012.*

Anno d. MCCLXXXVIII.

*Rex adolfus (Nassovius) a du-
ce Alberto Austrie occiditur.*

*Anno d. MCCC. Rex tartarorum
(Casan-khan) Soldanum regem
babylonie (Naser Mohammed)
interfecit et sepulchrum domi-
nicum acquisitum oleo rosacio
emundauit. et ipse baptisatus cum
toto exercitu. sanctam terram
fere totaliter expugnauit et in
festo Nativitatis domini prece-
dente stella Comata mediocris
apparuit manifeste. De Come-
ta testatur Hevelius et Lubie-
niecius, cetera vera falsis mix-
ta, ut solet, per Europam
sparsa.*

LXXI. VIII. 16.

- 365 Codex membraneus lat. Sec.
XIII. Folior. 126. f. nitide ex-
ratus, rubricisque distinctus con-
tinet: I. *Commentaria in Penta-
teuchum*, quibus manus Sec. XIV.
inscripsit: *Beati Remigij Super
quinque Libros Moysi*. Edidit Re-
migii Antissiodorensis O.S.B. *Com-
mentaria in Genesin* solertissimus
*Bern. Pezios T. IV. Thes. Nov.
Anecd.* quae a nostris toto coelo
abeunt. Sunt enim Nostra Bruno-

*nis ex Monacho Astensi et Abba-
te Cassin. ad infulas Signienses
promoti, mortuique a. 1125. de
quo plura in *Mauri Marchesi*
Dissert. ejus *Operibus* praefixa,
quae ex edit. *Veneta* 1651. in
Bibl. PP. Lugd. T. XX. ad p.
1294. commigrarunt, initium-
que ducunt a *Commentariis*, quae
prae manibus habemus. Abeat a
Codice Epistola praevia ad *Petrum Coepiscopum*. Opus ipsum
sic inchoat: *In principio creauit
deus celum et terram. In principio
inquit et ante omnem creaturam
creauit deus celum et terram. Hoc
enim et psalmista testatur &c.* At-
que ita, ut in Editis, si lectio-
nis hinc inde variationem demas,
usque ad finem decurrit, qui est:
*sed spiritum uiuificantem sequamur
ut in eternum uiuamus. Quod ipse
nobis praestare &c.* Quibus rursus
imperitus ille subjicit: *Expli-
ciunt expositiones beati Remigij,
Rhemensem illum, ut nullus du-
bito, in mente habens.**

II. fol. 125. Sequuntur Car-
mina non tamen στιχης exarata
Hildeberti ex Monacho Cluniac.
ad Sedem Cenomanens. et tandem
ad Archiepiscopatum Turonens.
proiecti mortuique a. 1139. cu-
jus nomen tacetur. Primum in-
cipit:

Melchisedech domino panem uinumque litauit &c.

*Extat in Hommeyana et Beaugen-
driana Opp. *Hildeberti* editione,
et in hac quidem *Paris.* 1708.
col. 1151. Sed addam, quae Co-*

*dex noster aliter et saltem non
pejus legit. V. 5. diluit pro ex-
piat. v. 17. caro carnes pro crux
carnes. v. 27. bona traditio pro
pia.*